

CLARISSIMO VIRO D.

FRANCISCO JOSEPHO HUNAUD,

SALUBERRIMÆ FACULTATIS MEDICÆ PARISIENSIS

DOCTORI REGENTI,

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ SOCIETATISQUE REGIÆ LONDINENSIS SOCIO,

IN HORTO REGIO ANATOMES ET CHIRURGIÆ

PROFESSORI,

Æternum grati animi monumentum D. V.
AUGUSTINUS FRANCISCUS JAULT.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis agitanda Disputationibus in Antonianis Medicorum Remensium Scholis, die Lunæ 13. Decembris, horâ octavâ matutinâ.

Clarissimo Viro GERARDO LEFILZ, Præside

An ossa humani capitis temporalia Anteridum vicem obeant ?

I.

QUANTUM cæteras corporis partes cerebrum dignitate antecellat, norunt vel in Anatomiâ peregrini. Regiam mentis non malè dixeris, ex quâ machinæ totius habenas moderatur, sine quâ mens nec imaginatur, nec reminiscitur, neque etiam intelligit. Cerebro nervi motuum ac sensationum ministri originem debent; eo læso vel abolentur penitùs, vel depravantur nobilissimæ functiones, contingunt apoplexiæ, hemiplegiæ, paralyses, comata, deliria, epilepsiæ, aliæque gravissimorum morborum iliades. Sed quàm præstans ac necessaria, tam mollis ac tenera

cerebri ſubſtantia : Quantùm autem in eo fingendo, tantùm in eo muniendo eluxit ſupremi numinis induſtria.

II.

PRÆTER communia toti corpori integumenta, quibus ab externis defenditur injuriis, clauſum eſt cerebrum oſſeo involucro, quod cùm primis fœtûs in utero contenti menſibus nihil aliud niſi membrana ſit, paulatim limphæ nutrientis ope in marmoream quaſi duritiem concreſcit. Quid mirum ? cum & lapides & metalla ipſa à ſucco eorum vaſcula ſubeunte ſoliditatem & incrementum habeant. Cranium autem humanum, vel ut ſolidius eſſet, vel ut faciliùs creſceret, ex multis & variis oſſibus, variiſque oſſium compaginibus, quæ ſuturæ dicuntur apud Anatomicos, conflatum eſt. Earum duæ obſervantur ſpecies. Aliæ vocantur dentatæ, quando oſſa ſerræ inſtar inciſa dentibus invicem inſertis conjunguntur. Talis oſſium parietalium inter ſe, cum oſſe coronali & occipitali connexio. Aliæ ſuturæ ſquamoſæ audiunt, in quibus oſſa ad ſquamarum normam ita cohærent, ut margo unius marginem ſubeat alterius. Hoc pacto temporalia cum parietalibus coagmentantur, ſed ita ut ora temporalium ſquamoſa parietalium oram exteriùs obtegat. Hujuſmodi poſitionis rationem multi inveſtigavere. Primus, ut alia benè multa, ſagaci ingenio expiſcatus eſt celeberrimus D. Hunaud ; cujus veſtigia legentes ſic rem paucis enucleamus.

III.

CORRUERE fornix nequit niſi deficiant ac dimoveantur fulcra ipſum ſuſtentantia, quæ à Græcis & Latinis *Anterides* dicta ſunt, ſive arcûs ſive muri appoſiti formam habeant. Idcircò in hoc potiſſimùm laborant artifices, ut Anteridibus firmitatem concilient : non neſcii, ſi illæ inconcuſſæ maneant, inconcuſſum quoque futurum eſſe fornicem ; foreque ut illum graviſſima pondera nedum evertant, ſtabiliant potius, lapidumque nexus intimiores reddant ; fatiſcentibus contrà Anteridibus, labefactatum iri fornicem, architectique imperitiam proditurum. Fornix eſt cranium ; Anterides itaque neceſſariò requirit, alioquin levi ictu aut pondere depreſſum, infinitas in cerebro turbas concitaret, totamque humani corporis œconomiam brevi deſtrueret. Fruſtrà mutuis dentibus cohærent oſſa parietalia tam inter ſe quam cum oſſibus coronali & occipitali ; fruſtrà tabula interior anguſtioribus quàm exterior eſt circumſcripta limitibus ; fruſtrà tabulæ internæ dentes, tabulæ internæ oppoſitæ fines invicem tranſiliunt, ejuſque limbo innixi Diploes ſubſtantiam penetrant ; niſi pars oſſium parietalium inferior, Anteridis auxilio adeò ſtabiliatur ut exteriùs propelli nullâ ratione poſſit. Quod ſi oſſa temporalia cum parietalibus dentata ſutura connecteret, latera quidem capitis à compreſſione

exterius admotâ, vel ab ictu defenderet; sed parietalium inferior pars gravi pondere vertici imposito victa, aut violento ictu eidem parti illato quassata, sedibus necessariò dimoveretur suis, & exterius propulsa os temporale desereret; dum intereà eorundem ossium pars superior depressa, interiusque protrusa funestam cerebro labem inferret, & quod ab externis injuriis tutari debuerat, pessimè ipsa multaret.

IV.

SED istas calamitates egregiè arcent ossa temporalia: horum etenim pars superior parti inferiori parietalium squamæ instar superjecta, ultima hæc in loco retinet, stabilit, firmat, ut nec deprimi ex parte supernâ, nec projici exterius ex parte infimâ possint. Hinc ossa parietalia tantis ponderibus innoxiè sustinendis paria fiunt. Hinc juvenculas mulieres spectamus, cum gravissimis oneribus capiti impositis, non solùm absque incommodo, sed etiam alacriter agros & oppida perambulanter. Diceres ex onere vires augeri. Quò majori vi fulciunt ossa temporalia, eò leviùs ingestorum ponderum mole gravatur sutura sagitalis; cujus quidem interni dentes cùm tabulæ internæ quæ tenuissima est mutuò innitantur, sintque ipsimet cæteris ossium partibus longe tenuiores; quàm sit utilis, squamosæ suturæ dispositio, quàm firmiter in loco partem ossium parietalium inferiorem detineri necessum sit, facilè patet. Ossa itaque temporalia eâ quâ pollent vi longè maximam sustinendorum onerum laudem meritò sibi vindicant. Hoc debent illis parietalia, quòd integra, quòd inconcussa resistant. Quis igitur non clarè perspicit cur pars temporalium squamosa, partem squamosam parietalium externè tegat, ista verò sub alterâ posita recondatur? Cæterùm eandem quam temporalia prærogativam obtinet os sphenoides: quippe ejus pars squamosa, anteriori & inferiori parietalis utriusque angulo eodem prorsus artificio coadunatur, firmandisque parietalibus symbolam confert.

V.

VERUM ut ossa temporalia anteridum vice fungantur, ea necesse est in statione suâ fixa & immota perstare; quod quidem ita se habere cognosces, si compactum & coagmentatum cranium dissolvas: sublatis enim parietalibus, temporalia cum occipitali & sphenoide tam arctè implicita atque cohærentia reperies, ut eorum stabilitatem mirari desinas. Sed quid obstet quominus pars ossium parietalium infima ictu violento concussa cedat atque intrò pellatur, accipe. Limbum coronalis superiorem ut plurimùm parietalia sustentant; verùm in lateribus interior coronalis tabula exteriorem longitudine multùm superans, prominentem pariter ossis parietalis exteriorem tabulam excipit ac sustinet, impeditque ne ictu

vim in interiorem partem faciente, è sede dejiciatur. Hanc autem adhibere cautionem non satis esse visum est. In supernâ ossis temporalis margine, petrosam inter & squamosam ipsius partem, incisura quædam apparet, cui insertus limbus parietalis inferior, immotus permanet, neque intùs vel extùs potest evagari. Vides igitur, quæcunque ad stabiliendum fornicem à solertissimo ingenio inveniri queunt, ea, multaque alia humanam excogitationem longè superantia, ad firmandum hominis cranium adhibita fuisse.

Ergò ossa humani capitis temporalia Anteridum vicem obeunt.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. GERARDUS LEFILZ, Antiquior Scholarum Magister Professor Antonianus, Consiliarius Medicus Regis & Decanus, Præses.

M. SIMON HEDOUIN, Generalis Universitatis Quæstor & Professor Antonianus.

M. HENRICUS-JOSEPHUS BERNARD, Professor Scholarum.

M. PETRUS JOSNET, Professor Antonianus.

Proponebat Remis AUGUSTINUS FRANCISCUS JAULT Sequanus, Artium Magister & Medicinæ Baccalaureus, A.R.S.H. M.DCC. XXXIV.

Ex Typis N. PIERARD, Facultatis Medicinæ Typographi.